



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

B.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

iffe, petit affecurationem; quia adest dolus ex parte ipsius, qui eo ipso quo petit affecurationem, indicat rem non periisse, vel se exiltimare rem non periisse. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. quest. 9. punct. 3. num. 1. & seq.*

2. Invalidus est contractus affecurationis, quando quis aliquid affecurat, fingens se habere bona ad satisfaciendum, re pereunte, cum reverà non habeat, nec brevi speret habere; quia dolus dat causam contractui, *ibid. n. 4.*

3. Quæres: utrum vita possit affecurari, sicut possunt affecurari merces? Respondetur, vitam posse affecurari ad certum aliquod tempus, ut si mutuavi alicui amico pecuniam ad quinque annos, quem timeo moriturum intra hos quinque annos, possum vitæ illius affecuratorem petere, traditis ex. gr. affecuratori quinq; pro centum; sic enim tam affecurans, quam affecuratus subit æquale periculum lucrandi & perdendi. *ibid. n. 6.*

B

Baptismus.

Vide v. *Sacramentum.*

1. **N**omen *Baptismi* significat ablutionem, seu potius immersionem in aquam, quia per *Baptismum* sordes peccatorum abluuntur, & purgantur; & quamvis propriè loquendò unus tantum sit *Baptismus*, nihilominus si metaphoricè, & minùs propriè loquamur, triplex est *Baptismus*, fluminis, flaminis, & sanguinis: quorum quilibet appellatur *Baptismus*, quia *Baptismi* vices supplet. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. Vide v. Baptismus.*

2. *Baptismus* flaminis, est pœnitentia, seu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem. *ibid.*

3. *Baptismus* sanguinis, est martyrium, ideò sic dictum, quòd efficiat effectus *Baptismi*, & illius vices aliquandò suppleat. *ibid.*

4. *Baptismus* fluminis est verus, & proprius *Baptismus*, & verum ac proprium *Sacramentum*; & quoniam incidit mentio martyrii, videndum obiter quid sit martyrium, & quid ad ipsum requiratur. *ibid.*

5. Martyrium est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. *Conditiones ad mar-*

tyrium requisitæ sunt, ut in adultis adsit voluntas suscipiendi martyrium, simul cum attritione supernaturali, si adultus habeat peccatum mortale; deinde qui patitur martyrium, debet pati ob honestam causam, vel ob conservationem fidei Catholicæ, & religionis Christianæ, vel castitatis, vel immunitatis Ecclesiasticæ, vel alterius veræ virtutis; præterea est necessaria passio seu cruciatus lethalis illatus in odium Christi, vel in contemptum fidei. *ibid. qu. 1. punct. 1. n. 1, 5. & seq.*

Martyrium confert gratiam ex opere operato, tribuitque remissionem omnis culpæ, & pœnæ. *ib. punct. 2. n. 1. & 4.*

6. Baptismus est sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori, sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem. Institutus fuit Baptismus Matthæi 3. quando Christus baptizatus fuit in Jordane à Joanne; non verò post resurrectionem, quando Christus dixit Discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ibid. quest. 2. punct. 1. n. 1 & seq.*

7. Baptismus est non solum necessarius necessitate mediæ, verum etiam necessitate præcepti: quia sine Baptismo in re vel in voto, non potest salus obtineri: obligatque adultos, ut quamprimum, moraliter loquendo, commodè & dignè possunt; Baptismum recipiant, vel saltem non multo tempore differant. Hinc fit, ut pater curare teneatur, ut filii & domestici quamprimum baptizentur: & Catechumenus, quamvis sit in gratia constitutus per actum contritionis, tenetur sub mortali recipere Baptismum, oblata opportunitate; nec salvantur pueri si moriantur ante realè Baptismi, vel martyrii susceptionem; imò verò tenetur infans etià justificatus in utero matris ex privilegio recipere Baptismum. *ib. p. 2. n. 3. & seq.*

8. Hæc tam stricta Baptismi recipiendi obligatio incepit generaliter, & quoad omnes post sufficientem promulgationem Evangelii, factam universo mundo, quæ fuit in die Pentecostes; vel ut alii etiam probabiliter volunt, post excidium Jerusalem, anno scilicet quâdragesimo post Christi passionem, quamvis respectu aliquorum, quibus Baptismus fuerat promulgatus, obligatio Baptismi inceperit ante illud tempus. *ibid. n. 10. & seq.*

A D D I T I O.

Quæres: Qua de causa martyrio tribuatur nomen baptismi,

smi, cum sanguine potius inquinemur, quam abluamur. Resp. Ideo tribui, quod vices suppleat baptismi aquæ. Idque in tribus. Nam primo per martyrium æquè ac per baptismum remittuntur peccata omnia, etiam originale. Unde *Luc. 8.* dicitur, Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam: & ita docent SS. Patres, nominatim verò Cyprianus *lib. de exhortat. martyr.* Ubi martyrium etiam dicit præstantius baptismum. 2. Remittit omnem pœnam temporalem, sicut baptismus. Nam Ecclesia numquam orat pro martyribus, injuriam enim facit martyri, inquit S. August, *serm. 17. de verb. Apost.* qui orat pro martyre. 3. Remittit peccata ex opere operato, secundum probabiliorem sententiam DD. ut D. Thom. Majo. Gabr. quod accuratè probat Bellarminus in *rom. 2.* Et ratio est, quia Ecclesia innocentes pro martyribus honorat, ex quibus proculdubio multi non erant circumcisi. Verùm Palud. *in 4.* & Sylv. *in v. baptismus. 1. §. 2.* docent, parvulos, sive in utero, sive extra uterum existentes, quando ob fidem, quam tenebant parentes eorum, occiduntur ante baptismum salvari & esse martyres. Et idem habet Sacerdotale Romanum, à Pontificibus approbatum. Ad rationem, & objecta resp. Martyrium vocari baptismum vel ablutionem propter internam ablutionem animarum, à peccatis Unde *Apocal. 7.* de martyribus dicitur: Hi sunt qui venerunt. &c. qui dealbaverunt stolas in sanguine Agni.

Quæres: Quare contritioni conjunctæ cum voto baptismi tribuatur nomen baptismi. Resp. Quod vicem etiam suppleat baptismi, quando re ipsa baptismus sumi non potest. Nam primo per ejusmodi contritionem remittuntur omnia peccata convenienter divinæ Scripturæ. Nam *Ezechiel. 18.* dicitur: Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. & *Luc. 7.* de Magdalena dicitur, remittuntur ei peccata multa. 2. Habemus exempla, unum latronis, qui statim pœnitentia sua obtinuit paradisum. Alterum Valentiniani Cæsaris, quem *Ambros. in orat. de ejus obit.* dicit, gratiam baptismi non amisisse, quia baptizari volebat. Præterea ita docet *Innoc. III. in c. ad Apostolicã, tit. de presb. non baptizato.* & *Concil. Trid. sess. 6. c. 4. 5.* Supplet etiam vices, quia per illam contritionem potest remitti omnis pœna temporalis, ut liquet in exemplo Magdalena, & latronis, & omnes DD. scholastici ita tenent, posse in aliquo tam esse perfectam contritionem, ut omnis tollatur pœna temporalis,

poralis. Quòd si autem contingat, illam contritionem in aliquo esse imperfectam, tunc non tollet omnem poenam temporalem, & erit imperfectus baptismus fluminis.

Quæres: Sitne Baptismus tum fluminis, tum sanguinis Sacramentum. Resp. Nullo modo posse vocari sacramentum. 1. Quia ad essentiam sacramenti pertinet certa verborum forma, & materia, ut dixi; at in neutro baptismorum istorum est certa forma, aut materia, maxime in baptismo fluminis; quia sola contritione interna, quæ sensibilis non est, potest quis salvari. 2. Quia Concil. Flor. & Trident. septem tantum numerat sacramenta. 3. Quia sacramenta sunt media, & remedia ordinata ad Dei gratiam consequendam, quale certè non est martyrium. 4. Quia martyrium est actus magnæ charitatis & fortitudinis; contritio verò vel desiderium baptismi est propriè actus virtutis poenitentiae. 5. Quia sacramentum cum sit signum, debet aliquam habere similitudinem cum suo effectu. Unde sequitur, neutro baptismo, vel sanguinis, vel fluminis imprimi characterem, quia character est proprius effectus sacramentorum. 2. Sequitur solù baptismum fluminis esse propriè dictum baptismum, quia solus propriè est sacramentum.

Materia Baptismi.

9. Materia remota Baptismi est aqua naturalis: dico, naturalis, ad excludendâ cerevisiam, sudorem, lac, urinam, lacrymas, sputum, seu salivam, aquam rosaceam, aquam distillatam, aquam à vite profluentem, aut alium liquorem artificialem specie differentem ab aqua naturali. tom. I. de Baptismo, disp. 2. quest. 2. punct. 3. n. 1. & 2.

10. Validè ergo baptizat, qui utitur aqua maris, putei, fontis, pluviae, balnei, etiamsi ex sulphure, aut cinere defluat; sive aqua calida sit, sive frigida, sive tincta colore, sive densa, &c sive profluxerit à nive, aut à gelu, aut à sale, (sal enim fit ex aqua naturali falsa) secùs dicendum de glacie non liquefacta, quæ sic abluere non potest. Nec debet aqua naturalis ita alterata & mixta esse cum alio corpore, aut liquore, ut amplius non sit apta ad abluendum, qualia sunt brodium, aut lixivium bene decoctum, aut lutum, aut similia, quæ nequeant amplius aqua denominari. *ibid. num. 3. & seq.*

Neque potest minister Baptismi, seclusa iusta necessitate adhibere

adhibere quamlibet aquam naturalem, veram, & puram, sed
aquam sacrorum fontium. Et materia Baptismi non sunt duæ
vel tres guttæ aquæ. *ibid. n. 8. & 9.*

11. Baptizatus cum materia dubia, rebaptizandus est sub
conditione cum materia solita, & consueta, si supervivat:
neque in Baptismo præter aquam adhibendus est ignis, con-
tra aliquos hæreticos *ibid. n. 10 & 11.*

12. Materia proxima Baptismi est ablutio, seu contactus
successivus, quo aqua successivè contingit corpus, qui au-
ferendis animæ sordibus deserviat. Hæc ablutio fieri potest,
sive immergendo corpus in aquam, sive infundendo, & ap-
plicando aquam corpori: ad quam ablutionem faciendam,
sufficit illa quantitas aquæ, quæ sufficit ad abluendam cor-
poris partem, qua abluta possit homo dici ablutus: servan-
da est tamen ministro ex officio Baptismi consuetudo Ec-
clesiæ suæ Cathedralis. *ibid. n. 13. & seq.*

13. Quæres, an validus sit Baptismus, si aqua vestes tan-
tummodo attingat, aut aliquid aliud extra carnes? Resp. ne-
gativè: & consequenter invalidus est Baptismus, si aqua so-
los capillos attingat. *ibid. n. 21. & 22.*

14. Non potest baptizari infans in utero matris existens,
qui necdum prodit in lucem; si tamen prodiit aliqua ex par-
te, Baptismus in necessitate est administrandus in qualibet
parte corporis, etiam in solo digito, si nequeat in capite ba-
ptizari. Non censetur baptizatus infans, qui ad sacrum fon-
tem defertur, si ante ablutionem moriatur: secus dicendum
de eo infante, qui à proferente formam, in flumen proiice-
retur, aut in puteum, quamvis hoc non sit faciendum; si
fiat nihilominus, tenet Baptismus; sicuti si fune mittatur
in flumen, & vivus extrahatur: potest enim denominari ab-
lutus. Valet item Baptismus, quando infans aquæ è tecto
desluenti submittitur: denique finita qualibet ablutione
perficitur sacramentum: valetque Baptismus, si puer aut
Sacerdos moriatur post primam immersionem. *ibid. num. 25.*
& seq.

A D D I T I O.

Quæres: Quæ pars corporis ordinariè sit abluenda in
baptismo. Resp. Necessitate præcepti Ecclesiæ esse abluen-
dum caput, patet ex usu Ecclesiæ, ita docet Chrysost. Au-
gustin. *in cap. 3. Ioan. & D. Thom. in 3. p. q. 66* probat quia in
capite sunt omnes hominis sensus: ac proinde eo abluto, to-
tus

tus homo rectè dicitur baptizatus Confirm. Quia baptismus ordinatur ad expiandum peccatum originale quod maxime infecit partem hominis sensitivam; unde si quis aliam corporis partem ablueret, peccaret mo taliter. Resp. 2. cum Bonacina; uti paulo superius, necessitatis tempore sufficere abluionem principalis partis alicujus corporis, ut brachii, pectoris, dorsi; si enim minima tantum pars ablueretur, redderetur dubius baptismus; secus, si unaquæque manus.

Forma Sacramenti Baptismi.

15. Forma sacramenti Baptismi sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti* In forma exprimenda est persona, quæ baptizatur, sed non est necessarium directè exprimere personam baptizantis. Similiter exprimenda est actio, quæ circa baptizatum exercetur; sive exprimatur per verbum *baptizo*, sive per verbum *abluo*, sive per verbum *mergo*. Præterea exprimenda est unitas divinæ essentiae & tres personæ sanctissimæ Trinitatis: quare invalidus erit Baptismus in nomine Christi collatus, aut in nomine Dei, vel S. Crucis. Mutatio substantialis adhibita in verbis formæ, invalidum Baptismum efficit. Hinc fit, ut utens forma Græcorum, validè baptizet. Idem dic de eo qui baptizaret omiſſa particula *Ego*; secus dicendum si baptizaret in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati; validus tamen esset Baptismus, si loco filii, diceretur, *Verbi*. His adde invalidum esse Baptismum si dicatur, *intendo te baptizare*, aut si puer moriatur nondum finita forma Baptismi; aut si conferatur Baptismus in nomine & virtute beatissimæ Virginis, aut Sanctorum. Invalidus est similiter Baptismus, quem quis sibi confert, dicendo, *Ego me baptizo*; possent tamen duo se invicem baptizare tempore necessitatis, dicendo: *Ego te baptizo*. quod si duo unum eodem tempore baptizarent, & unus ablueret, alter verò formam proferrèt, non teneret Baptismus. Unde infer non esse validum Baptismum, quando unus incipit formam Baptismi, & alter eam perficit. Adverte præterea validum esse Baptismum administratū lingua vulgari, etiā quando omitterentur tres illæ particule, *Amen, Ego, In*, quia sensus formæ non destruitur, neq; error circa personam baptizantē reddit Baptismum invalidū. Hinc sequitur valere Baptismum collatū filio Caij, quē Sacerdos opinabatur filium Titij;

Titius neque rebaptizandus est masculus, qui pro femina fuit baptizatus, imposito nomine, quod imponi consuevit feminis potest enim aliquis propria auctoritate, nomen, per se loquendo, commutare, *tom. 1. de Bapt. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Quæres: Sitne ratus Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque. Glossa *in c. multum de consecr. n. 4* putat esse ratum, quam sequitur Palud. *in 4. d. 3.* & Cajet *in q. 66.* Verum probabilior est sententia D. Thomæ, Alberti Sot. *n. 4 d. 3.* & Petri Sot. *lect. 5. in Enchiridio Sacerdot.* non esse ratum Baptismum, quem vide.

Baptismi Minister.

16 Duplex est Baptismi Minister, videlicet Minister ex officio seu solemnitatis, & Minister necessitatis. Minister ex officio est Sacerdos, ita ut illicite baptizet, qui cum non sit Sacerdos, tamen solemniter baptizat; usurpat enim sibi alienum officium. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. p. n. 1. & seq.*

17 Minister Baptismi in necessitate, est omnis homo, habens usum rationis, potensque & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Potest ergo fœmina baptizare, ut obstetrices ratione necessitatis; deinde etiam hæreticus, imò Paganus, modo intentionem habeat baptizandi, anima amen separata à corpore, non potest valide baptizare, quia non est homo: similiter neque Angelus ob eandem rationem, absque divina dispensatione, ut diximus v. *Sacramentum.* Adverte graviter peccare eum, qui baptizat extra necessitatem, cum non sit Sacerdos; & qui non est proprius parochus, non potest baptizare solemniter, sine licentia Episcopi, vel proprii parochi. Adverte prætereà servandum esse aliquem ordinem in necessitate, in administrando Baptismo, videlicet ut præsentem viro fœmina non baptizet. & c. *ib. n. 4 & seq.*

18. In baptizante requiritur necessariò intentio baptizandi; hinc fit ut ille valide non baptizet, qui solum habet intentionem jocandi, & irridendi. *ib. n. 13. & 14.*

19. Valetne Baptismus, quando quis intendit reportare lucrum, vel infantem occidere? Valet, si intenderit verè baptizare; nam finis extrinsecus non tollit intentionem requisitam ad sacramentum. *Ibid. n. 15.*

20. Requiritur ulterius, ut Minister adhibeat debitam materiam & formam, illamque sciat applicare. *Ibid. n. 16.*

21. In Baptismo unus adhibendus est patrinus; possunt tamen duo adhiberi, si unus sit masculus, & alter femina. *Ibid. nu. 19.*

22. Denique Baptismus collatus alicui jam baptizato, non est validus. *Ibid. n. 21.*

A D D I T I O.

Quæres: Utrum mutus & mancus verè baptizent, si ille abluat, hic verba proferat: videtur enim quod sic, quia non necessariò minister exprimi debet in forma; siue ergo per unum, siue plures sint, baptismus verus erit baptismus. Cajet. *in q. 67. 3* S. Thomæ & Mars. *lib. 4. sent.* putant verum esse baptisma, sed rectius D. Thom. Alenf Scot. Palud. Sot. Ledesm. *in 4 d. 4.* negant communiter. Ratio eorum est, quia neuter eorum baptizat: non mutus, quia non profert verba, nec mancus, quia non abluat. 2. Mancus proferens verba, & dicens: Ego baptizo, vel baptizamus, mentitur: ergo non verè baptizat. Nec valet, quod respondet Cajetan. baptizo idem esse, quod confero sacramentum baptismi, vel applico formam materiæ. Nam baptizo est idem, quod ego te abluo, quod certè ille non facit; deinde non confert baptismi sacramentum, nisi qui applicat simul materiam, & formam, quod etiam ille non facit.

Subiectum Baptismi.

23. Subiectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, siue sit infans, siue sit adultus, siue sit vir, siue femina. Hinc colligitur Satyrum, aut genitum ex femina & bruto non esse capacem Baptismi; secus dicendum de monstro genito ex viro & femina; quod baptizandum est; quod si constet duplici anima rationali, (ut si habeat duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite,) duplex Baptismus conferendus est; unus absolute in ea parte,

re, in qua perfectius caput vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte. Quod si dubitetur an monstrum genitum sit ex viro & femina, vel ex femina & bruto, baptizari poterit sub conditione, nisi constet esse animal irrationale. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. punct. 6. n. 2. & seq.*

24. Ex eo quod Baptismus omnibus hominibus adhibeatur, patet differre à Circumcisione, quæ solis masculis adhiberi poterat. *ib. n. 6.*

25. Mortuus, & ille, qui existit adhuc in utero matris, non possunt baptizari; quod si mater moriatur, & filius in ipsius utero existens credatur vivere, aperiri poterit, ut infans extrahatur, & baptizetur. *ibid. n. 7. & seq.*

26. Quid dicendum de matre gravida damnata ad mortem? Differenda est executio donec pepererit. *ib. n. 10.*

27. Baptismus infanti collatus dissentientibus parentibus validus est. Baptizandus est filius infidelis, altero consentiente. Baptismus potest pluribus unica forma conferri. *Ibid. num. 11. & 12.*

28. In adulto baptizando requiritur intentio actualis, aut virtualis, aut habitualis; deinde requiritur adhuc fides supernaturalis & attritio: in pueris vero carentibus usu rationis, Christus & Ecclesia supplet intentionem & dispositionem. *ib. n. 15. 16. 24. & 25.*

29. Ex dictis collige adultum non remanere baptizatum, nec characterem recipere, si nunquam voluit baptizari, vel si aliquando voluit, voluntatem tamen suscipiendi Baptismum revocavit; secus dicendum de Baptismo collato dormienti, qui Baptismum petierat ante somnum: hic enim dicitur habere intentionem habitualem. Idem dicendum est de furioso, & amente lucida rationis intervalla patientibus. Similiter tenet Baptismus per metum gravem susceptus, si adfuit debita intentio suscipiendi. *ib. n. 18. & seq.*

A D D I T I O.

In dubio, an fuerit verus Baptismus, sub conditione, si non est verè baptizatus, iterandus est, vide *de consecr. d. 4. c. Placuit. & de baptis. & ejus effectis. c. 2.*

Id est, quando anceps est animus, post diligentissimam indaginem, (neque enim temerè sub conditione iterandus baptismus,) *Sot. d. 3. q. unic. ar. 9. l. c. de quibusdam, de Bapt. &*

eius effect. Alex. 3. Forma conditionalis ex *cir. can.* est, si baptizatus es, ego non te baptizo; si non es baptizatus, ego te baptizo.

Compotem rationis puerum baptismum petentem baptizare licet, invitis parentibus infidelibus; in dubio verò, de rationis usu, sufficit esse septem annorum, non competentem autem licet baptizare, si alter parentum Christianus competat.

Sot. *d. 5. unic. art. 10. col. 21.* Carentes autem usu rationis non sunt baptizandi parentibus invitis, D. Thom. 4. *d. 5* Sot. *2. c. contra Scot & Dur. ex c. de iudiciis 44. dist.* (Non competent) *c. ex litteris extr. de infid. conver.*

Tenentur patrini susceptorum puerorum curam gerere, si urgeat necessitas Sot. *d. 9. 4. unic. art. 5. concl. 2. vid. cap. vos ante. de consecr. d. 4.*

Infidelis in baptismo, & non confirmatus in confirmatione non possunt esse patrini. *c. in baptismo. cit. dist.*

In privato baptismo, in quo non est sponsor necessarius, si ceremonia adhibeatur, cognationem contrahi probabile putat Suar. *com. art. 8. q. 67.* cum Sot. Nav. & Sanchez *l. 7. d. 62.*

Si plures susceptores, quàm duo, adsint, & nulli designentur, cum soli designati, & à Parocho admissi contrahant, à nullo cognationem contrahi, probabile est, quia nemo est susceptor, ut vult Ecclesia, Suarez *l. c.* & Sanchez *lib. 7. q. 57.* contra Navar. putantem, ab omnibus contrahi, dici posset, primis viro & fœmina suscipientibus contrahi spirituales cognationem.

Ad concubinam accedens, post filium ex ea susceptum à se, in necessitate baptizatum, incestum patrat, Ledesm. *q. 56 art. 1. dub. 2.* nec potest eam ducere. Sanchez *lib. 7. d. 62. n. 11.*

Baptizans filium non suum, sed uxoris, in necessitate, non privatur jure petendi debitum Id. *16. dub. 3.*

Sola ignorantia inculpabilis conservat ius petendi baptizandi filium extra necessitatem. Ledesm. *16. dub. 4.* vide Zambr. *l. 6* qui negat cum Suar. *in q. 67. art. 8.*

Patrinum, permissum à se procuratorem, spirituales cognationem contrahere, quidam ajunt, quidam negant; probabilius lege Sanchez *d. 59 l. c.*

Qui posuit obicem per peccatum baptismi effectui, debet illum postea sacerdoti confiteri, non autem alia peccata ante baptismum facta. lege Suar. *tom. 4. d. 28. sec. 4.* Valens. *tom. 3. d. 4. l. 2. p. 20.*

Quas

Quæres: An sit infantibus, si baptizari non possint, aliud relictum remedium salutis. Gerson. & Cajetan. *in 3. p. q. 68. 2.* putant, posse salvari maximè infantes in utero morientes, si parentes pro iis orent, & loco baptismi benedictionem aliquam adhibeant, vel eos offerant Deo, cum invocatione SS. Trinitatis. Resp. 1. Deus cum sacramentis non sit alligatus, pro infinita sua misericordia, potest infantes tales extraordinariè salvare. Resp. 2. Temerarium verò & erroneum est, dicere, aliud remedium præter baptismum à Christo relictum infantibus esse. 1. quia expressè dicitur Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. 2. quia Concil. Florent. *in inst. Arm.* dicit, nullo alio remedio posse illis subveniri, 3. quia August. *Epist. 28. ad Hier.* dicit, esse contra Apostolicam prædicationem, & totam condemnare Ecclesiam, quæ ideo curat, dum baptizandus esset infans, quia sine dubio, inquit, creditur, eos aliter vivificari non posse.

Quæres: An saltem liceat ceremoniam illam usurpari, si non cum fide, quòd valeat ad salutem; sed cum spe aliqua, quòd Deus extraordinariè dabit suam gratiam infantibus. Resp. Nullam ceremoniam certam usurpandam, ob suspicionem & periculum superstitionis; posse tamen orari pro parvulo, omnia relinquendo voluntati, & providentiæ Dei.

Quæres: Sintne baptizandi infantes fortè expositi in viis. Resp. 1. Posse & debere baptizari omnes pueros, qui inveniuntur in terris infidelium, cum à fidelibus occupantur. Et ratio est, quia plusquam probabile est, tales non esse baptizatos. Resp. 2. Si inveniuntur in terris, ubi mixti sunt fideles cum infidelibus, debere baptizari cum conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo; nisi fortè schedulam collo appensam habeant, quòd sint baptizati, & non sit suspicio odio Christianorum id factum ab infidelibus. Resp. 3. Si inveniuntur expositi in terris fidelium, & hæreticorum, (nisi sint Anabaptistæ, ut in Moravia) & habeant schedulam de baptismo collo appensam, non sunt baptizandi; si verò non habeant, inquirendum est, num ibi sit mos receptus, ut obstetrices recens natos baptizent: nam si non receptus sit ille mos, vel obstetrices adhiberi non soleant, sub conditione essent rebaptizandi, quia tales ferè solent exponi simul ac nati sunt. Idque semper faciendum, quoties est aliqua dubitatio, nam in dubiis magni momenti tutior pars est eligenda.

Quæres: Sintne amentes, & furiosi baptizandi? Resp. 1. Si

Ali

illi sunt semper amentes, hoc est, ab ipsa nativitate fuerunt semper rationis expertes, perinde baptizandi sunt, atque pueri ante usum rationis, nisi parentes sint infideles, & nolint eos baptizari. Resp. 2. Si aliquando compotes mentis fuerint, & maneant amentes, usque ad finem vitæ, aliquando possunt baptizari, ut cum ante amentiam petiverant baptismum; aliquando non possunt, ut cum non petiverunt, aut propensionem ullam ad baptismum ostenderunt, & idem dicendum de phreneticis furiosis. Si verò talibus conferatur baptismus, planè est irritus, quia in adultis semper est necessaria intentio baptismi suscipiendi, vel voluntas. Resp. 3. Si amentes illi aliquando habuerint lucida intervalla, eos posse baptizari in amentia, si periculum mortis immineret, & baptismum ante amentiam petiissent; si verò non sit periculum mortis, differendus esset Baptismus, usque dum ad dilucida intervalla redeunt.

Quæres: Siantne baptizandi, qui quidem ante amentiam habuerint desiderium baptismi, non autem affectum relinquendi peccatum, ut usuras, fornicationem. Resp. 1. Si talis baptizetur, verè baptizari, licet non accipiat gratiam baptismi, sed tantum characterem. Resp. 2. Si probabile sit, eum immediatè ante amentiam fuisse in peccato mortali, non debere baptizari, & ratio est, quia nec ante amentiam in statu illo baptizari potuisset; si autem non constet, aut dubium sit, an in peccato mortali factus sit amens, erit baptizandus, ut definiunt Innoc. *in c. majoris. de baptiz.* & Conc. Carthag. 3. c. 34. Resp. 3. Quotiescùmque probabile est, quòd vel attritionem habuerit, posse baptizari, & recepturos gratiam, ut docet S. Thom. *in 4. d. 5. q. 1. a. ult.* & Gabr. *in 4. d. 4. q. 2. concl. 3.* Nam baptismus facit ex attrito contritum: erit autem ille contritus, si non actualiter, saltem habitualiter.

Baptismi effectus.

30. Baptismus confert gratiam simul cum reliquis virtutibus & donis quæ gratiam consequuntur, modo non sit obex ex parte suscipientis. Gratia gradum confert Baptismus æqualem omnibus pueris; inæqualem verò adultis pro ratione majoris vel minoris dispositionis. *tom. I. de Baptismo, disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 2. & 3.*

31. Gratia in Baptismo producta remittit peccatum origi-

ginale, peccataque actualia commissa ante Baptismum, deletque omnem pœnam peccatis debitam; non aufert tamen pœnalitates, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. *Ib. n. 4. 5. & 7.*

32. Alius effectus Baptismi est character indelebilis: hinc fit ut Baptismus iterari non possit, nisi sub conditione, quando dubitatur de ipsius validitate *Ib. n. 9.*

33. Utrum verò Baptismus susceptus cum fictione producat suum effectum recedente fictione, constat ex dictis v. *Sacramentum. Ib. n. 13.*

34. Peccata antecedentia Baptismum non sunt aperienda in confessione. *Ib. n. 15.*

35. Extra necessitatem non debent omitti ritus, & ceremoniæ Baptismi: peccatque qui baptizat in aqua non benedicta, aut adhibet chrisma alterius anni. Non sunt tamen ceremoniæ iterandæ, quando Baptismus fuit invalidè solemniter administratus *Ib. n. 18 & seq.*

A D D I T I O.

Quæres: An qui fictè, id est, in statu peccati mortalis, sine ullo dolore, accedit ad baptismum, consequatur prædictos effectus baptismi. Resp. Si velit reverà baptizari, illum tantum recipere characterem baptismi, non autem gratiam; ac proinde nec originale peccatum, nec mortalia ei remitti: imò fictè accedendo, de novo peccat mortaliter, quia sacramento abutitur. Recedente autem fictione, virtute semel accepti baptismi, statim consequitur dictos priores effectus, ut communis habet opinio. Nam sicut lapis primo generatus naturaliter labitur deorsum, sublato impedimento; ita baptismus sublato fictionis impedimento, vi accepti sacramenti, statim consequitur gratiam: tolli autem debet fictio aut per contritionem, aut per attritionem, conjunctam cum sacramentali confessione, (de peccatis nempe ante baptismum commissis, confiteri non tenetur,) & ratio est, quia baptizatus in peccato mortali, non debet melioris esse conditionis, quàm Christianus post baptismum; sed huic cum in gratia peccat, non sufficit attritio sine confessione: ergo nec illi cum fictione baptizato, & ita docet D. Thom. *quæst. 69. 3. p. ar. 11.*

Solemmitates Baptismi.

Solemmitates rectissimè ab Ecclesia institutæ, non sunt prætermittendæ, quamvis ad essentiam ejus non spectant, præcedunt baptismum Catechismus, Exorcismus, unctio olei sancti: post baptismum sinciput linitur chrismate, datur vestis candida, &c. *de quibus* Tolet. & Bonac. *loc. Baptismi effectus.*

Adhibentur susceptores, ex Conc. Trid. *sess. 24. c. 2.* unus, vel una, vel ad summum, duo: unus, & una. Hi non debent esse monachi, nec religiosi, nec infideles, nec parentes baptizati. Horum onus est, filios susceptos fidei, & morum præcepta docere. Hi contrahunt spiritualement cognationem matrimonium dirimentem cum filio suscepto ejusque parentibus. In Catechismo contrahitur affinitas impediens; si suscipiat nondum baptizatus, cognationem non contrahit.

Per procuratorem suscipi potest puer; mittens procuratorem, non autem procurator cognatus efficitur. Ad contrahendam cognationem puer tangendus. Vir pro fœmina, fœmina pro viro suscipere potest. Vid. Victor. ad hoc caput.

Quæres: Quot ceremoniæ antecedant baptismum. Resp. 12. Prima est, quod catechumeni, qui baptizari cupiunt, dent nomen suum, à quo tempore competentes dicuntur. 2. Est scrutinium, id est, examen an competentes sincere, ac constanter credant, quod olim læpius fiebat. 3. Est abrenuntiatio Sathanæ & opetum ejus. 4. Professio fidei. 5. Signum crucis in fronte, & pectore. 6. Exorcismus, & abjuratio demonum, ut à baptizando recedant. 7. Exsufflatio, qua significatur demonum expulsio, & Spiritus sancti afflatio. 8. Gustus salis benedicti, ut baptizandus sale sapientiæ conditus, peccatorum fœtore careat. 9. Tactus aurium & narium baptizandi, cum digito & sputo, & dicitur Epheta, id est, adaperire, ad significandum adaperitionem spiritualement sensuum. 10. Impositio manuum, & benedictio sacerdotalis. 11. Unctio cum oleo benedicto in scapulis & pectore. 12. Abstinencia vini & carni, & rei uxoriæ, aliaque opera pœnitentiæ, quæ non ad satisfactionem, sed ut paratiores accederent ad baptismum, imponebantur.

Quæres: Quot ceremoniæ comitentur baptismum Resp. 5. Prima, impositio nominis: nam etiam in circumcisions
nomi-

nomina imponebantur parvulis, ut patet Luc. 7. & 2. de S. Joanne, & Salvatore. Quòd autem nomina Apostolorum, & aliorum Sanctorum olim solita sint imponi, docet Euseb. *lib. 7. hist. cap. 20.* & id decretum est in Concil. Nicæno. *c. 30.* 2. Cerem. ut baptizandus habeat susceptores, quos Tertull. vocat sponsores, Justinus offerentes, August. fidejussores, Virginius Papa patrilinos vocat, & habetur *c. in catech. d. 4.* Adhibentur autem 3. de causis. 1. est, ut Ecclesia de suscepto sit securior, acceptis fidejussoribus. 2. ut expressius referatur generatio spiritualis, adhibitis spiritualibus parentibus. 3. ut nullus Christianorum sit, qui non habeat pedagogum: nam susceptor, ut ait August. de reſtitutione Catholicæ conversionis, baptizatos erudire tenetur ad minimum symbolum Apostolicum, & orationem Dominicam: ut habetur *c. vos autem. de consecr. d. 4.* quod D. Thomas restringit, nisi parentes sint Christiani, & in instituendis filiis diligentes. 3. Cerem. ut baptismus fiat in baptisterio consecrato, eoque lapideo, ut habetur *c. omnis presbyter de consecr. d. 4.* & in publica Ecclesia, non autem in ædibus privatis; licet id concedatur tantum Regum & Principum filiis, ut habetur in *clero. c. presenti prohibemus.* In privatis ergo oratoriis non conferendus baptismus, sine licentia Episcopi, ut habetur *ib. can. clericos de consecr. d. 1. 4.* Cerem. Consecratio aquæ baptismalis, addito oleo unctionis mysticæ. 5. Sunt tempus Paschæ, Pentecostes, extra quæ non licebat baptizari, nisi in periculo mortis, aut tempore profectiois, aut naufragii, de quibus multa in Patribus, sed tandem consuetudo illa ob multos, qui sine baptismo decedebant, abrogata est.

Quæres: Quot ceremoniæ sequantur baptismum? Resp. 1. Osculum pacis, in signum, quòd baptizatus sit frater noster. 2. Unctio chrisimatis in vertice. 3. Cereus accensus in signum fidei, ac gratiæ acceptæ. 4. Vestis candida, in signum innocentiae, quam ferebant à Sabbato sancto, usque Dominicam in Albis, quæ & inde nomen obtinuit. 5. Delibutio lactis & mellis, seu vini, quæ modò non est in usu; erat autem signum novæ infantiae in Christo, teste Hieron. contr. Lucif. Fuit & alia ceremonia lavandi pedes Neophyti, sed in quibusdam Ecclesiis, Cujus meminit Ambros. *lib. 3. de Sacram. cap. 1.* Lege Bellarm. 2. tom. *controv.* & Steph. Durand & Georg. Scherer. *in dialog. de ritib. baptism.* qui accuratè omnes has ceremonias defendit contra hæreticos.

D

Quæ

Quæres: Qui homines esse possint patrini. Resp. 1. Infideles, & non baptizati non possunt, ut habetur *de consecr. d. 4. c.* in baptis. & si de facto levent, non contrahunt cognationem spiritualement, ut habent Sylv. v. *baptismi. s. § 5.* & Sot. *loc. cit. art. ult. 2.* Schismatici, hæretici, & apostata à fide non possunt esse patrini, tum quia tales non possunt esse boni patres spirituales, tum quia cum illis non possumus communicare cum sacramentis; si tamen de facto hujusmodi homines levent aliquem de fonte, verè contrahunt cognationem spiritualement, quia in jure non rejiciuntur, nisi non baptizati. 3. Abbates & monachi, sub quibus videntur comprehendi omnes religiosi, ut habetur *can. non licet. & c. non monachi de consecr. d. 4. § 16. q. 1. cap. placuit.* si tamen levent contrahunt cognationem, ut dicitur *ib.* 4. Imperiti & rudes in casu, quo pueri egerent instructione, ut habet D. Thom. 3. *qu. 67. a. 8.* sed quia communiter non est talis necessitas, ob multitudinem instructorum, promiscuè admittuntur in paternos. 5. Mater & pater pueri baptizandi; si autem levent, contrahunt cognationem, & peccant mortaliter. *c. pervenit. 30. quest. 1.* olim etiam talium matrimonia separabantur, sed in C. ad limina, Pontifex excepit eos, qui in necessitate baptizant, aut levant; & quia multæ mulieres levabant olim filios, ut separari possent hac ratione à viris: ideo quidam Pontifices statuerunt, ne amplius separarentur, ut habetur *loc. cit.* Imò de cognatione spirituali, *c. 2.* præcipitur, si alter conjugum scienter, aut ignoranter levet, ut nec quidem debitum conjugum neget.

Quæres. an qui virtute prædicti canonis levet suum filium de fonte, possit etiam petere debitum. Gloss. *ibid.* dicit, quòd sic, quia non privatur facultate petendi; sed probabilius est, quòd non, quia manet privatus facultate petendi, ut prius erat; & ratio est, quia per levationem è fonte, contrahitur cognatio, impediens omnem actum conjugalem. At in hoc Can. solus actus reddendi debitum permittitur: ergo, & ita docet S. Thom. *in 4. d. 32. q. 1. a. 1.* Ubi tamen excipit unum casum, quando quis proprium filium levaret, ex ignorantia invincibili, nesciens esse suum filium, quia tunc, ut nullo modo peccat, nullam etiam pœnam incurrare videtur.

Quæres: An si alter conjugum levet proprium filium, altero non contradicente, imò consentiente, possit adhuc petere debitum. Resp. cum Panorm. *in c. 2. de cogn. spir.* neutrum posse petere.

Quæ-

Quæres: An uxor cum marito possint alterius filium levare de fonte. Resp. Id quidem non esse decens, non tamen prohiberi.

Quæres: In qua ætate debeant esse patrini. Panor. cap. de bitum, de baptis. vult ea ætate debere esse patrinum, ut possit esse pater carnalis, id est, 18. annorum; verum hoc non est verum.

Bellum.

Vide v. *Homicidium, Irregularitas contractus ob bellum.*

1. Bellum est armorum conflictus, seu professio nocendi vi & armis contrariæ parti. Ut bellum offensivum licitum sit, tres conditiones requiruntur; auctoritas indicentis (hæc residet penes Principem, qui neminem in sua jurisdictione habet superiorem) seu convocantis alios in suum admiralculum: recta intentio, & justa causa, ut pro tuenda Republica contra adversarios illam injustè oppugnantes, vel quando subditi sunt rebelles, &c. Non potest autem indici ante diligentem inquisitionem illius justitiæ & æquitatis. *tom, 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quest. ult. sect. 1. punct. ult. num. 1. & seq.*

2. Quod attinet ad bellum defensivum, licitum est cuicumque, interveniente necessitate & recta intentione; nam licitum est cuique vim vi repellere propria auctoritate. *ib. n. 4.*

3. Princeps posita justa causa non potest semper bellum indicere; sed prius petenda est ab adversario condigna satisfactio, qua oblata non licet indicere bellum: nam oblata sufficienti satisfactione cessat injuria præterita. *ib. n. 9.*

4. Militibus qui sunt subditi Principi indicenti bellum, vel qui recipiunt stipendium à Principe, etiam pacis tempore, seu qui ante bellum locaverant Principi operas suas ad pugnandum satis est, si sciant causam belli non esse injustam; in dubio enim obediendum est Superiori præcipienti, & in ejus favorem præsumendum est. *ib. n. 10.*

5. Quæres an bellum possit esse justum ex utraque parte? Respondetur materialiter, & re ipsa non potest esse justum ex utraque parte: nam realiter jus competit uni soli; formaliter verò & per accidens potest esse justum ex utraque parte, ut propter invincibilem ignorantiam alterius partis,

aut propter opinionem probabilem, quam quisque sequi potest etiam in bello indicendo, ut quando utraque pars iudicio prudentium virorum credit se habere iustam causam indicendi bellum. *Ib. n. 11.*

6. Illa omnia licite fiunt in bello, quæ accommodata sunt aut ad rem ablatam recuperandam, vel compensationem faciendam, aut ad vindictam sumendam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam & stabiliendam; quare sequitur licitum esse seclæsis mendaciis procurare victoriam per insidias & stratagemata; dummodo non fuerit data fides hostibus non ponendi insidias. Licitum quoque est inferre damna cum expressa vel tacita Superioris licentia, etiam in bonis fortunæ hostium pro sumenda vindicta de injuria illata, & pro stabilienda pace in futurum: Clerici tamen & Ecclesiæ tempore belli expoliari non possunt propter immunitatem qua gaudent; nisi fortè per accidens, ut quando victoria nequit aliter reportari. *Ib. n. 14. & seq.*

7. Petes, utrum bona alicujus nationis, ex gr. Romanorum, extracta à militibus Florentiæ è manibus piratarum vel Turcarum acquirantur militibus? Respondetur quod non: nam Turcæ non acquisierunt dominium illorum bonorum; consequenter bona remanent sub dominio priorum dominorum, illisque restituenda sunt, detracta æstimatione operæ & industriæ positæ in iis bonis acquirendis; possunt tamen aliqua consuetudine mutua fieri capientium. *Ibid. numer. 23.*

A D D I T I O.

In bello iusto etiam innocentes licet spoliare, & capere, ad debilitandas hostium vires. Quod si bellum est perpetuum, ut contra Turcas, licet innocentes etiam captivare. Quod si dati sunt in obsides, & violent fidem datam, non licet illos occidere; licet autem, si sint de nocentum numero.

Fum *Bellum n. 10. P. N. l. c. n. 278.* (Quod si) Victor. *de jur. bell. Mol. dist. 120. Val e p. 3. col. 4.*

Capta in bello iusto non sunt restituenda; nisi essent res peregrinorum, clericorum, religiosorum, aut rusticorum: quamquam quidam nec talia, ajunt, ex necessitate restituenda, quia iuste capta, ut dictum est supra; sed falso, maxime quoad clericos, & religiosos.

D. Thom.

D. Thom. l. c. q. 66, art. 8, ad 1. (Peregrinorum) Sylv. bellum
n. 11, concl. 3. (Clerico) Mol. d. 121, concl. 3.

Ablata justo bello ab iis, qui injusto bello acceperant, etiam si in tutum se recepissent, prioribus dominis sunt restituenda, si stemus jure naturæ, vel etiam Cæsareo; si verò oppositum alicubi, vel lex statuerit vel consuetudo præscripserit, ei standum est: potuit enim licitè privatorum juri derogari ob bonum publicum. Covarr. reg. pecc. p. 2. §. 1. num. 2. Mol. disp. 118.

Potest Princeps ad vitandum Reip. majus damnum, tradere hostibus aliquam urbem; est enim id exponere periculo partem, pro totius salute.

Milites sine voluntatè saltem præsumpta Principis, damnum hostibus dantes, tenentur restituere: præsumitur autem velle etiam, ut capti etiam à Turcis, cum fugiunt, dominos suos, aliosque spolient.

P. N. l. c. n. 285. Sylv. l. c. concl. 4.

Capti etiam justo bello fugere possunt, saltem si fiat extraditionem dominorum.

Vid. Servus n. 1. Covar. l. c. n. 6. & l. var. resol. c. 2. num. 10. Navar. c. 17. n. 104. docet fidelem ab infideli fugientem debere illi pretium mittere.

Subditi non tenentur ad bellum propriis expensis gerendum, nisi fortè ex pacto, aut consuetudine præscripta.

In bello licet quidem clerico hortari ad pugnam, adeoque ad victoriam; non autem pugnare, nisi se defendendo

Fu. l. c. n. 8. hortatus. 25. q. 8. Nav. c. 27. n. 217. (neque efficitur irregularis, si ipse non mutilet) & con. 5. de homic.

Milites nostri temporis non gaudent privilegiis antiquis militum.

Belli tempore non potest Princeps populum deserere.

Sot. l. 5. q. 1. art. 8. col. 6.

Militi etiam aegrotanti debetur stipendium. Syl. l. c. n. 8.

Miles ad discendam pugnandi artem in bellicis ludis nulli nocentibus, & à periculo mortis alienis justè se exercet. Sylv. v. miles.

Mentiri non licet, in bello tamen insidiis uti licet, & confilia tegere, ad hostes decipiendos: non licet hosti fidem frangere: licet autem die festo pugnare, ita re postulante. Mo. disp. III.

Mortiferè peccat Princeps, si bellum ad Reip. salutem, d

fidem conservandam, ad inimicorum spirituale bonum necessarium, non gerat, præcipue si affulgeat victoriæ spes, & tunc sub p. m. præcipere posset subditis, ut arma caperent, Mol. d. 99.

Quæres: Liceatne homines occidere in bello. Resp. Licere, si bellum sit iustum: ut autem sit iustum, tria requiri, ut habetur 23. q. 1. & 2. Primum mandatum Principis, cujus auctoritate bellum geritur: quia privatæ personæ non est bellum gerere, sed iudicio suam causam persequi. 2. Iusta causa, ut qui impugnatur, sit meritis, ut ei bellum inferatur. 3. Intentio recta, quæ est, ut intendatur vel depulsio mali, vel promotio boni communis.

Quæres: An miles in bello iusto teneatur occidere hostem. Resp. 1. Quod simpliciter teneatur durante conflictu, quia alioqui periculum esset, ne hostis prævaleret: deinde conflictus ipse est executio iustitiæ. Resp. 2. Militem quidem aliquando occidere hostem, sed non teneri, ut cum nullum est periculum, & hostis manum porrigit supplicem. Resp. 3. Licite posse occidi tria genera hominum. 1. Imperatorem & Capitaneos. 2. Milites pugnantes. 3. Omnes qui in pugna juvant hostem, vel exonerandis bombardis, vel minitrando armis, & commeatu. vel serviendo militibus, eoque hortando. Resp. 4. Si inter hostes sint pater vel filius, vel amicus, ex officio pietatis, non posse occidi, nisi periculum sit, ne pereat totus exercitus: ut si quis eorum sit dux belli, in cuius morte consistit Reipub. salus. Nam tum bonum commune præferendum est officio pietatis.

Quæres: Quousque extendatur facultas occidendi. Resp. militem privatum non posse occidere quemquam, nisi durante conflictu, & ante partam victoriam. 2. Summo Imperatori etiam post partam victoriam, & conflictum peractum licere occidere hostem, cum ad injuriam vindicandam, tum edomandam hostium audaciam, & alios terrendos; maxime autem licet more juridico, ratione admitti criminis. Resp. 3. cessante conflictu reliquæ multitudini esse parcendum, quæ numquam pugnavit, cum post conflictum in pace vivatur, quæ est finis belli.

Quæres: An urbs possit dari diripienda in bello iusto, ad animandum militem, aut terrendas alias urbes. Resp. Si aliud sit remedium ad obtinendam victoriam, non licere. 1. Quia directe paterentur omnes innocentes. 2. Quia miles solet

solet tunc enormia scelera perpetrare. Resp. 2. Si non sit aliud remedium, licere, quia est bellum iustum: ergo debet dari possibilis executio, non autem datur alia, quam hæc: ergo. v. g. hostes possent esse tam obstinati, ut nolint dederes; quamvis raro talis necessitas incidat, & ideo raro fit iuste illa direptio. Resp. 3. Si talis direptio esset necessaria, ad multas alias urbes diripiendas, tum licite posset dari una urbs diripienda.

Quæres: An Clericis liceat ire ad bellum, & bellare. Resp. 1. Clericis licere interesse ad exercenda ministeria spiritalia. Resp. 2. Minorum ordinum clericis licere etiam bellare, quia & uxores licet ducere quamvis sint, qui existiment eos venialiter peccare. Resp. 3. Clericis in majoribus ordinibus constitutis, non libet bellare sine dispensatione Pontificis.

Quæres: Sitne licita monomachia, vel duellum? Duellum autem est, proprie bellum duarum personarum, privatarum, vel duarum familiarum indictum cum pacto & conditione præcedente. Resp. 1. Duellum simpliciter esse illicitum: repugnat enim primo juri naturali, quo non licet aliquem occidere, nec se mortis periculo exponere. 2. Divino. Nontentabis Dominum Deum tuum, Matthæi 4. 3. humano. no. 2 q. 5. canon. monomachi & Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. Respond. 2. Quinque personas peccare in duello, 1. Dominos locorum, in quibus committitur. 2. Pugnantes. 3. Patronos. 4. qui dederunt consilium, vel auxilium. 5. spectatores. Resp. 3. Hos quinque non solum peccare mortaliter, sed incurere excommunicationem ipso facto. Dominos verò loci incurere pœnam privationis, & confiscationis bonorum feudaliū ipso facto. Patronos, & pugnantes incurere tres alias pœnas, saltem post latam sententiam. 1. Proscriptionis omnium bonorum. 2. Perpetuæ infamæ. 3. Homicidii patrati. Resp. 4. Duellum esse illicitum quinque casibus. 1. Si fiat causa manifestandæ veritatis, ut v. g. Deus ostendat, uter sit innocens. Ratio est, quia illud testimonium est fallax. 2. Si fiat ostendendarum virium causa, quod sæpè fit in exercitu. 3. Si fiat vitandæ ignominie causa, eò quod provocatus sit ad duellum. Nam ob opinionem vulgi, non est vita tam gravi periculo exponenda. 4. Si fiat causa vitandæ litis, licet Lyranus, & Angel. putent, hoc casu licitum esse. Ratio est, quia pro testimonio veritatis capitur, quod

est fallax. 5. Est, si fiat vindicandi honoris divini causa, ut si hæreticus provocet Catholicum, ad declarandum, utrius religio sit vera, quem casum Carthusianus putavit licitum. Ratio est eadem.

Respond. 5. Quibusdam etiam casibus licitum esse duellum. 1. Est ad evitanda graviora mala, ut cum duo exercitus parati sunt pugnare totis agminibus, & inter se conveniunt, ut duo, &c. nam tunc est licitum ex parte ejus, qui justum bellum gerit. Eadem de causa licet ducibus belli id facere, ac etiam regibus, vel principibus licet permittere, ut nobiles, domini, vel milites bello certent. Similiter, si quando ab hoste provocati in bello, milites non parendo efficerent, ut hostis fieret audacior, aut miles contemneretur, vel de victoria aliquid decederet, tunc licitum esset duellum, secundum Navar. 2. Casus est, quando duo ad mortem justè sunt condemnati, & ob bonum commune expediret, alterum vita donari. Et ratio est, quia tunc unus per duellum constituitur quasi minister justitiæ 3 est, si provocatus ad duellum putet se occidendum, nisi acceptet conditionem, nec aliud remedium suppetat evadendi mortem, nisi suscipiat duellum. Et ratio est, quia hoc est tueri se contra invatorem. Ita Navar. Cajetan.

Beneficium, Beneficiarius.

Vide v. *Residentia, Simonia.*

1. Beneficiarius dominium habet non solum bonorum patrimonialium, verum etiam quasi patrimonialium: & etiam fructuum & proventuum beneficii. Per *dominium* intellige facultatem disponendi ad suum libitum suo nomine de re aliqua, modo lege non prohibeatur. *tom. 1. de obligatione beneficiariorum, disp. 4. punct. 1. n. 2. & seq.*

2. Potestne beneficiarius fructus beneficii ad suum libitum expendere, seu tenenturne illos in pios usus erogare? Respond. fructus necessarios ad congruam sustentationem in pios usus erogari posse ad libitum beneficiariorum; sicut possunt bona patrimonialia vel quasi patrimonialia; quamobrem in illis casibus in quibus beneficiarii non tenentur bona patrimonialia vel quasi patrimonialia in opera pia expendere, neque tenentur fructus beneficii sibi ad congruam sustentationem

sustentationem necessarios (secus dicendum de superfluis) in pia opera erogare. *ibid punct. 2. n. 1.*

3. Beneficiarius insumens bona patrimonii in utilitatem Ecclesie, potest tantumdem ex beneficii fructibus insumere, ut voluerit. Item habens patrimonium pingue, non peccat beneficium quo vivat acquirendo, ut patrimonium propinquis aut aliis relinquat. *ibid. num. 5.*

4. Quæres quanta pars fructuum constituenda sit pro congrua beneficiarii sustentatione? Respond. eam partem constituendam esse, quæ ad beneficiarii & ipsius familie sustentationem necessaria judicatur, habita ratione scientiæ & litteraturæ, nobilitatis aut dignitatis, loci, & annonæ copię vel inopiæ. *ibid, num. 7.*

5. Beneficiarius qui fructus beneficii suæ sustentationi superfluos non in pios usus, sed in profana opera expendit: v. g. ad dandos amicos vel consanguineos, graviter peccat; quamquam potest illos juvare, qui vitam ex suo patrimonio commodè & honestè juxta sui status conditionem traducere non possunt; imò potest aliquam partem fructuum sibi necessariam subtrahere, & consanguineis divitibus tradere. Potest quoque non solum alere filios legitimos & spurios ex beneficii fructibus, si non habet aliunde, unde eos alat; verum etiam rationalem dotem trahere filie spurie vel forori, dum aliunde non habet quo illis consulat. *ibid. n. 9. & seq.*

6. Percipiens pensionem ex aliquo beneficio potest ut voluerit dispensare, saltem id quod congruæ sustentationi parè vivendo subtrahit. Similiter Capellanus potest ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, pro concionibus, audiendis confessionibus, pro vicariatus officio, aut similibus functionibus, cum hæc sint bona quasi patrimonialia: non potest tamen beneficiarius ad libitum insumere fructus Ecclesie, aut bona, quæ ipse emit ex pecuniis aut nomine Ecclesie. *ibid. n. 17. & seq.*

7. Commendatarius perpetuus alicujus Ecclesie potest de fructibus Commendæ disponere solum prout ceteri beneficiarii; & habentes Abbacias, Prioratus vel Commendas possunt solum disponere pro suo arbitratu de ea parte fructuum, quam parcius vivendo sibi subtraxerunt: secus dicendum de militibus Commendatariis, quales sunt Equites S. Jacobi, Calatravæ, &c. hi enim possunt de fructibus Commendarum liberius & securius disponere. *ibid. num. 22*

& seq.

D 5

8. Bene-

8. Beneficiarius attento jure communi antiquo non potest de beneficii fructibus validè testari & disponere ad causas profanas; potest tamen ex privilegio vel consuetudine pluribus in locis recepta, cum id juri divino vel naturali non adverfetur: imò attenta consuetudine loci, in quo spoliatorum usus non adest, consanguinei validè succedunt ab intestato in ipsis fructibus beneficii. *ibid punct. 3. n. 1. & seq.*

9. Beneficiarius potest non solum validè, sed etiam licitè testari de bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, & de fructibus beneficii necessariis ad congruam sui & suæ familia sustentationem, ubi consuetudo invaluit ut beneficiarii testentur; si verò sermo sit de fructibus congruæ sustentationi superfluis, dicendum videtur beneficium non posse licitè de hujusmodi bonis testari. *ibid, num. 4. & 1.*

10. Beneficiarius beneficii fructus superfluos expendens in profanos usus, teneturne ad restitutionem? Respond. non teneri, cum sit illorum dominus: neque etiam à fortiori eum qui fructibus à beneficiario accepit, cum acceptio ipsius non sit magis peccaminosa, quàm traditio beneficiarii. *ibid punct. 4. num. 1. & 2.*

A D D I T I O.

Qui habet beneficium sufficiens ad sustentationem, non potest tuta conscientia alia accipere; quòd si à Papa in eo dispensetur, quis audeat tantæ auctoritatis factum condemnare? aut verò causæ, ob quam est dispensatum, æquitatem discutere? Potest quidem Confessor acquiescere dispensationi Papæ etiam in duobus beneficiis curatis, ipse qui possidet, an debeat, viderit: certè interim dum se putat bene possidere absolvi potest: itemque dum per vicarios bene providet pluribus curatis, etiam si dubitet justa de causa dispensationis, ritè enim possidet dispensante Papa: quamquam nemo non modo curata duo, sed nec simplicia habebit, si unum sufficiat. Quin etiam optandum, ut juxta Panormit doctrin. *c. conquerente de cler. non resid. Papa iis, qui duo habent beneficia, quorum alterum sufficit, alterum adimeret* Vide Nav. *c. 25. n. 125. Toll. 5. c. 81 Syl. beneficium, 4. nu. 4.* ubi de causis pluralitatem excusantibus, Trid. *sess. 24. c. 17. Val 10 3. d. 5. q. 7. p. 2 Lopp. 2 c. 101 fufe differentem. Salen. q. 63. art. 2. cont. 5. Pet. Arag. q. 6 3. art. 2. de just. per vicarios, Cajet. verb. beneficium.*

Episco.

Episcopus non potest dispensare ad duo simplicia, si unum est sufficiens, aut si utrumque requirit residentiam: nec secundum quosdam, ad duo in eadem Ecclesia; quod tamen alii concedunt, si sunt dissimilia officia.

Fu. verb. beneficium, n. 45. Saloñ tamen, l. c. concl. 6. ex Sot. probat, posse Episcopum in minoribus non curatis dispensare iusta de causa.

Ad pluralitatem eorum, quæ in Hispania præstimonialia vocantur, non requiritur dispensatio.

Vide Sot. l. c. concl. 4. Val l. c. assert. 4. Navar l. c. num. 127. P. Arag l. c. pag. 127. Bria q. 89. Trid. l. c. præstimonialia autem sunt beneficia simplicia sine residentia Val P. Arag. l. c.

Dispensatio super pluralitate non valet, si aliquod beneficium in dispensationis petitione tacitum est. Nec valet impetratio beneficii à Papa, vel ejus delegato, si tægetur aliud prius habitum; secus est, si ab ordinario impetretur, vide de præbend. & dig. cap. 6. & clem. 2. de offic. jud. ord. vid. Lop. p. 1. c. 103. Syl. Benefic. § 5. c. 6 si motu lib. 6.

Habens dignitatem, aut personatum, aut curatum beneficium, si alterum tale accipiat, vacat prius ipso jure, quòd nisi statim resignet, privatur etiam secundo, c. multa de præbend. Sed id, per sententiam judicis, nec enim se debet ipse privare: imò, nec prius vacat, secundum Innoc. & Andr. nisi à judice moneatur, idque post pacificam secundi possessionem Sunt & quædam alia, quæ excusant, quæ consultò omitto, jam enim sine dispensatione talia non possunt haberi: ubi autem est dispensatum, illis nihil est opus.

Navar. cons. 25. de præb. vid. Par. de resignat. benef.

Habens beneficium curatum suo simplici annexum, non censetur habere curam animarum. At Vicariatus perpetuus Ecclesiæ parochialis, tamquam beneficium curatum habetur.

Habens parochialem, aut hujus vicarium perpetuum, si intra annum à possessione pacifica non sit sacerdos, privatus est ipso jure; nisi justo impedimento excusetur, aut Ecclesia sit collegiata, vel plebania, sub se habens capellanos, vel ille curam per se exercere non tenetur, aut cum illo dispensetur, vid. c. licet de elect. lib. 6.

Poterat quidem Episcopus dispensare studii causa per septem annos; sed debebat ille tamen intra dictum tempus saltem subdiaconatum suscipere, & interim Ecclesiæ per alium providere. Sed post Concil. Tridentin. non est in usu,

cum

cumeo, qui obtinuit beneficium curatum, ex hac causa dispensare. Et ita statuit sacra Congregatio.

Si studium non exerceat, dispensatio nulla est, Navarr. c. 25. n. 118. c. cum ex eo, de elect. lib. 6. cit. à Nav. l. c.

Collatio beneficii curati ante annum vigesimum quintum, saltem inceptum ejus, cui confertur, nulla est.

Vid. Trid. sess. 24. c. 12. Nav. l. c. n. 115.

Collatum alicui beneficium, ejus non fit, antequam consentiat.

Resignatio beneficii in favorem alicujus, non transfert in eum jus, antequam ei à Papa, vel Episcopo detur: itaque potest poenitere qui resignavit, antequam illi detur. Vide Valent. tom. 3. d. 6. q. 16. p. 3. *quasiro* 3. ubi & pulchrè de permutatione beneficiorum. Non perditur beneficii possessio per renuntiationem, nisi postquam fuerit per superiorem admittà. Paril. de resign. benefic. lib. 1. q. 5. n. 24. & 25. plurimos affert Doctores, & dicit, esse communem.

Beneficium non perditur ipso facto, ante sententiam, per inhabilitatem supervenientem: ut per homicidium, aut aliud ejusmodi impedimentum.

Vid. Nav. c. 27. n. 2. 51. docentem per supervenientem irregularitatem non amitti beneficium. Lop. p. 2. c. 95. in fin.

Triennio possidens beneficium pacificè, etiam si mala fide, fit ejus dominus, secundum Navar. & reg. de trienn. possess. nec tenetur ostendere titulū; ut declaratur à Concil. Cōgreg.

Navar. in c. accepta de rest. spol. oppos. 8. n. 9. & 10. & cons. 30. de preb. qui cons. 2. de paroch. n. 4. dicit, triennio beneficium possidentem bona fide, facere illud suum, si sine violentia, & simonia obtentum sit. Covarr. autem regul. possessor. p. 2. §. 7. & n. 10. ait non esse tutum in conscientia, qui bona fide, & titulo tolato, obtentum beneficium per triennem possessionem possidet, ibique perpendit reg. de trienn. poss.

Nemo potest sibi beneficium conferre, de excess. pral. c. 3.

Promissio beneficii vacaturi, aut ad id presentatio, nec licet, nec valet, quacumque verborum forma fiat vid. de concession. preb. c. 1. 13. & 16. & lib. 6. eod. tit. 6. detestanda.

Vid. Nav. de spol. cleric. §. 19. n. 5. & c. ne captanda eod. tit.

Collatio beneficii facta per Vicarium revocatum, sed ignorantem revocationem, valet: itemque renuntiatio facta per procuratorem revocatum ante intimationem revocationis illi factam, etiam si is, cui fit renunciato, revocationem sciat,

Obti-

Obtinens beneficium condemnati per errorem, sed secundum allegata, & probata, iuste possidet.

Sententia secundum allegata & probata ferenda est, licet iudex ut vir privatus, crimen falsum esse sciat, Covarr. *lib. 1. var. res. c. 1.* ex communiore etiam Theologorum sententia, ut videre est apud Valent. *tit. 3. d. 5 q. 11 part. 2.* & Azor. *l. 2. c. 17. q. 8.* contra Panorm. Calder. Imol. Angel. Rosel. Adria. &c.

Potest Episcopus cum illegitimo dispensare ad unum beneficium simplex.

Navar. *c. 25. n. 117 de fil. Mol. d. 173.* Si personatus, aut dignitas non sit, & ad minores ordines petatur dispensatio.

Etiam cum in iure dicitur, ut beneficium vacet ipso facto, sine alia monitione, aut declaratione, non privatur quis possessione nisi per iudicem; sed potest interim in conscientia gaudere fructibus; secus est, si dicatur, ut collatio non valeat, ut accidit in simonia.

Sot. *l. 1 q. art. 6.* Covar. *epit. p. 2. c. 6. §. 8.* Molin. *disp. 96.* ita sentit, dum non constet voluisse Papam, nulla expectata sententia, beneficium amitti; at Navar. *c. 23. n. 67. & cap. 25. n. 18.* contrarium tradit: priorem tamen sententiam sequitur opus de datis & promissis. *Corol. 31. n. 41* (secus) Mol. *l. c.*

Cui revalidatur titulus beneficii malè acquisiti, potest recipere fructus à se malè perceptos: fructus enim beneficii vacantis debentur successori: vacabat autem iure, etsi non de facto, beneficium illud, & ipse successor est; nisi aliud habeat constitutio, aut legitima consuetudo.

Navar. *de spol. Cleric. §. 12. n. 4.* Qui initio sine iusto titulo beneficium habuit, perceptos fructus restituere tenetur. Quod si titulus non revalidetur, tria habet remedia. 1. potest cum Camera Apostolica componere. 2. Ecclesie suae. 3. vel successoribus eos tradere, qui etiam partem remittere potest.

Qui in beneficio malè acquisito fecit debitum officium, potest excusari à fructibus consumptis in vitæ sustentationem, si pauper est.

Vide Covar. *epit. p. 2. c. 6. §. 7. n. 7.*

Qui beneficium obtinuit simulata sanctitate, vel ob turpem causam, non tenetur resignare, nisi esset turpitudine, quæ collationem ipso iure nullam reddere, ut Simonia.

Sot. *l. 9. q. 7. art. col. 9.* alii tamen ajunt, vide Sot. *l. c.* & Mol. *dist. 210.* ubi de eleemosyna.

Clericus in sacris, si contrahat matrimonium, non ideo perdit

perdit beneficium, nec si est in minoribus, & contrahat solum sponsalia de futuro: Sylv. v. beneficium. 3. n. 22. & gl. c. 1. de Cler. conjug. Vide Navar. c. 25. n. 120.

Filius illegitimus non potest habere beneficium in Ecclesia, in qua pater habeat, aut habuit, nec pensionem super patris beneficio. Ex Concil. Trid.

Nav. l. c. n. 117. (Trid.) sess. 25. c. 15.

Nec legitimus potest habere beneficium, quod pater habuit c. constitutus, de fil presb.

Capellania instituta cum conditione, ut detur Sacerdoti, aut incerta familia ei, qui sit sacerdos, potest secundum Navar dari ei, qui non est Sacerdos, modo fiat quam primum Sacerdos.

Capellanus obligatus ad celebrandum potest id per alium facere. Ex Congr. Conc.

Collatio beneficii facta irregulari, suspensò, aut interdicto, nulla est; ideoque solet in collatione dari absolutio à talibus impedimentis.

Vide jura citata à Nav. c. 5. n. 133. Lopez p. 2. c. 93 in fin. etiam excommunicato ignoranti, se talem esse: nam ignorantia non efficit acquisitionis capacitatem Navar. c. 27. n. 172. Si ad Episcopum collatio spectet, dispensare. id. ibid.

Ante decimum quartum inceptum nullus potest beneficium obtinere, nec pensionem, nisi in fundatione beneficii aliter fuisset cautum Ex Trid. Conc. & Conc. congregat. Trid. sess. 23. c. 6. de ref.

Ad dignitatem & personatum, sine cura, requiruntur viginti duo incepti. Ex Trid. Conc. sess. 24. c. 12.

Collatio beneficii, aut Ecclesiasticæ jurisdictionis facta non habenti primam tonsuram, nulla est.

Tol. l. 5. c. 79 Nulla etiã in utroque foro collatio facta indigno. Petr. Navarr l. 2. c. 2. n. 154. de restit. quare perceptos fructus, & damna, ea collatione illata, restituere tenetur. ibid.

Potest Episcopus ex causa cum consensu hæredis dispensare, ut detur beneficium non habenti omnia requisita à fundatore: itemque cum consensu patronatus jus habentis mutare aliquid in institutione beneficii, secundum Navar. conf. 3. de Cler. non resid.

Habens beneficium tenetur intra annum ordinem ad illud requisitum suscipere; quòd si licentiam habeat non suscipiendi ordinem, dicet per capellanum Missas ad quas tenetur, Ex Trid. & Conc. Congr. Intra

Intra annum) cessante iusto impedimento. Trid. *sess.* 22.
6.4. de reform (Trid.) l. c.

Absentes cum licentia causa studii, non recipiunt distributiones quotidianas, *Ex con. Conc.*

Docens publicè scripturam, aut audiens, percipit beneficij fructus absens. Trid. *sess.* 5. c. 1. de reform.

Dare beneficium simplex digno, relicto digniori, non est peccatum mortale, communiter Sot. *lib.* 3. de justit. q. 6. ar. 2. fecus si sit curatum, non tamen tenetur, qui dedit, restituere digniori.

Cajet. 2. 2. q. 62. art. 2. Sot. l. 3. q. 6. art. 2. in fin. Navarr. tamen *miscell.* 43. de ora. id m. putat. Bannes q. 63 art. 2. dub. 5. licet ex communi sententia referat, satis esse eligere dignum; probabilius tamen putat, teneri Episcopos digniores eligere. Vide quæ Arag. scribit. l. c. & Val. *inf.* §. 2. §. 3.

Secus) Bannes l. c. dub. 3. concl. 3. Salon. q. 63. a. 2. cont. 3.

Non tamen) Covar. *reg. peccatum* p. 2. § 7. n. 6 Val. *tit.* 3. d. 5. q. 7. p. 2. dub. 6. Sot. l. 4. q. 6. art. 3. ad 6. Navar. c. 17. n. 73:

Beneficiatus potest disponere non solum de redditibus beneficij, sed etiam de rebus immobilibus, ex illis suo nomine emptis. Meliorationes autem factæ in bonis Ecclesiæ, ut domo, aut agro, ejus quidem erunt, quamdiu vivit, etsi beneficium relinquat, aut eo per judicem privetur, at in morte erunt Ecclesiæ. Vide de peccat. Clericor. c. 5.

Si sit præscripta consuetudo, ut testari possit, (testari enim ex jure non potest, Mol. d. q. 147. Vide Covar. *in c. cum in officio.* de testam. n. 5. Nav. *apot.* q. 1. mon. 48. so. Vide quando, & quibus de bonis testari possit, Bonac. *tom.* 1. fol. 1087. nu. 4. §. 5. & hic q. 9. sup.

Patrimonium Ecclesiastici morientis ab intestato, sine heredibus, dandum suæ Ecclesiæ.

Debita beneficiati solvenda ex bonis, quæ reliquit moriens. Vide *lib.* 6. de off. ord. cap. *presens.* quod si non reliquit, quantum opus est, solvet successor in beneficio, si contracta sint pro Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, secundum Innocentium. Imò etiam, secundum Hostiensem & Panormitanum, si contracta pro antecessoris necessitate, quod Emmanuel Sa non putat in usu esse, etsi valdè rationabile.

Successor non tenetur præcessoris debita solvere, nisi sint ratione Ecclesiæ contracta, neque ea, si Ecclesia bona habeat ad id statuta, aut populus ex consuetudine ad id teneatur Navar. de spol. Cler. §. 10. n. 7.

Fru

Fructus collecti ante mortem beneficiati, vel ei debiti ob servitium, sunt hæredis, quod si nullus sit hæres, sunt succes- foris, vel fortè ex usu Camera Apostolicæ.

Canonicus habens capellam, non recipit distributiones hora, qua Missam celebrat.

Qui post sex menses ab obtento beneficio etiam præsti- monio non impeditus legitime, non recitat officium, non facit fructus suos; sed tenetur dare fabricæ beneficii, vel pau- peribus: omnes quidem totius diei, si totum ejus officium omis- sum, alioquin pro Matutino omisso dimidium pro quavis alia hora sextam partem: idemque est faciendum ei, qui ut Clericus habet pensionem, si non recitat officium B. Mariæ. Ex Bulla Pii V.

Vide Navar. *l. c. n. 123.* Tol. *l. 2. c. 12. n. 6.* Si distributiones dividantur inter eos, qui choro interfuerunt, iis reddendæ. Navar. *l. c.*

Si talis pauper est, potest sibi retinere de consilio confes- soris sec. Navar.

Tol. *l. c.* Navar. *l. c.*

Potest auctoritate Papæ in commutatione beneficiorum fieri compensatio, per pensionem, aut pecuniam pro fructi- bus alterius beneficii majoribus. Vid. Valent. *l. c.*

Resignationes ad favorem ab Episcopo non possunt ad- mitti, sed à Papa admittuntur. Ex Pii V. *Mot. propr. condit.* 1567. & Arra *l. c.*

Papa ubique beneficia conferre potest. Ordinarius de ju- re beneficia sua diocesis, nisi aliud statutum aliquod, aut immemorabilis consuetudo velit. Capitulum de jure, in tri- bus casibus, 1. Cum ordinarius à collatione beneficiorum suspensus est 2. Cum vacat sedes, & beneficium illud ab Episcopo, & à capitulo conferri solebat. 3. Cum beneficium est de jure patronatus, & vacat sedes.

Accepturus beneficium debet esse 1. Clericus primæ ton- suræ, saltem 2. ex legitimo matrimonio natus. 3. in legitima ætate constitutus. 4. à quocumque Canonico impedimento liber. 5. dignus ratione scientiæ, morum, & aptitudinis. In Episcopo requiritur annus trigessimus inceptus, in curatore animarum vicesimus quintus, ad beneficia simplicia sufficit annus decimus quartus. Habens unum beneficium non po- test aliud habere, sine dispensatione.

Quæres: Quando liceat plura beneficia habere? Pro hoc dantur

Prima reg. In casibus in jure expressis, hoc licet. Antiqua jura in sex casibus, à Toledo relatis, beneficiorum pluralitatem concedebant. Conc. Trid. quatuor statuit casus. 1. *sess. 24. c. 13.* non potest unus plures habere Episcopatus, quamvis redditus exigui sunt, 2. *ibid.* Nemo potest plura habere curata, nec residentiam requirentia, ut sunt, quæ habent jurisdictionem, & chorum. 3. *ead. sess. c. 17.* Nullus deinceps potest habere plura beneficia, etiam simplicia, nec in commendam perpetuam, nisi cum unum ad congruam sustentationem satis non est. 4. *sess. 7. c. 7.* In annexis parochiis ad Canonicatum Episcopus vicarium constituat, cum tertia fructuum parte, nisi id aliquando videatur aliter convenire.

Secunda reg. Qui cum Pontificis dispensatione plura beneficia habet, tutus est in conscientia. In foro tamen exteriori sufficit dispensatio: coram Deo requiritur causa dispensationis, utilitas scilicet vel necessitas Ecclesiæ. Causa tamen sine dispensatione non sufficit.

Tertia reg. Beneficia plura simplicia ante Conc. Trident. habita, retineri modo possunt, in foro exteriori; in foro conscientia requiritur justa causa.

Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. In beneficio duo sunt, scilicet titulus, id est, dignitas quædam Ecclesiastica ad officium aliquod in Ecclesia ordinata, & jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis. Qui solum jus habet ad partem fructuum percipiendum, pensionem habet: quæ triplex est, temporalis, spiritualis, media. Prima datur laicis, pro temporis ministerio pro Ecclesia, extra Ecclesiam exhibito. 2. datur ob officium spirituale erga Ecclesiam, 3. datur ob resignationem, vel cessionem beneficii.

Prima non obligat ad preces horarias: potest vendi temporali pretio: pro Ecclesiastico beneficio commutari non potest: per matrimonium non amittitur.

Secunda, non obligat ad horas, sed ad ministerium; non potest vendi, aut redimi, nec dari pro beneficio: & per matrimonium amittitur.

Tertia, obligat ad horas B. Virginis; non potest vendi, aut redimi sine Papæ licentia, non potest cum beneficio commutari: amittitur de jure per matrimonium.

Pensionem exigens, si horas B. Virginis non recitet, tenetur restituere. Azor. *t. 1. lib. 10. c. 14. quest. 12.* Emittere professionem in religione, amittit pensionem. Zech. *de pension. c.*

11. sine litteris Apostolicis, neque exigi, neque solvi potest, vide *Rodriq. part. 2. c. 21.* qui solvit, non expeditis litteris, si moniacus existimatur. *Paris. de consider. benefic. q. 41*

Nullus potest pensionem super bona Ecclesiastica retinere sine Papæ dispensatione, dispensatio autem coram Deo in foro conscientiae non valet, sine justa causa, quæ in Ecclesiæ utilitatem sit; si enim causa in universalis saltè Ecclesiæ utilitatem non tendat, non est legitima. In jure duæ sunt causæ; Prima, cum duo in judicio controversantur de beneficio, ne lis in damnum Ecclesiæ, quæ tunc ministro privatur, cedat, tunc, concedente Pontifice, majorem injustitiæ rationem habenti beneficium, alteri pensio dari potest. Secunda, cum commutatur beneficium pinguioris proventus, cum beneficio minùs pingui. Aliæ etiam sunt causæ: 1. ob ministerium aliquod temporale in Ecclesiam exhibitum. 2. ob ministerium spirituale. 3. Ob labores in Ecclesiæ utilitatem exantlatos. 4. ob ministeria erga Ecclesiam exhibenda. 5. ob paupertatem.

Modus in pensionibus servandus est. 1. ne pensio, quæ exigitur, sit ad eò pinguis, ut cum titulo ea pars fructuum non remaneat, quæ congruæ ministri sustentationi non sit satis. 2. ne tot unus pensiones habeat, quæ congruam ejus sustentationem superent; in quo magnus est abusus, & quidam pensionibus abundant, qui ne ad unam quidem justam causam habent.

An tutò in conscientia possit quis plura beneficia retinere, si sine causa legitima obrinuit dispensationem. *Resp.* In foro externo posse retinere, non tamen in foro interno conscientiae, ut docet *D. Thom. quodl. 9 c. 15* & *Soto lib. 3. de just. q. 8. art. 3* Probatur primo; Quia Papa non est dominus, sed dispensator beneficiorum, eique contra voluntatem domini, non potest illa distribuere. 2. Quia *D. Bernard* ita docet *lib. ad Robert. & epist. ad Theobald.*

Quæres: An Confessarius possit absolvere eum, qui sine causa à Papa plura beneficia obtinuit. *Sot. in 4. sent. in materia de beneficiis* refert, se multos novisse, qui soliti sint tales absolvere, modò non nimium in pluralitate beneficiorum excederent. *Cajetan.* quoque putat, eos posse absolvi, qui aliquo modo per vicarium suum præstant Ecclesiis, quarum beneficia obtinent. Quod *Lodovicus* putat, finitè verum ante *Trident.* sed non post. *Cajetan. verò & Angles* in loc. *Theolog.*

log. existimat, post Trident. sententiam Cajet. posse teneri : propterea quod non facile possit judicari, an dispensatio obtenta sit ex causa legitima, an non.

Quæres: Quod si aliquis habens plura beneficia injusta de causa, non agnoscat ea in re in confessione se esse culpabilem, num talem Confessarius tenetur examinare de pluralitate?

Respond. teneri, si ille vel scrupulum sibi faciat aliquem, ob pluralitatem, vel consilium petat à Confessario, vel ex oblivione, & negligentia videtur se non agnoscere culpabilem. Si autem credatur, quod existimet se plura beneficia obtinere legitime, non tenetur illum examinare, ut docet Navar. lib. 1. conf. qu. 20.

Bestialitas.

1. Bestialitas est conjunctio carnalis cum re alterius speciei, ex. g. cum bruto, vel cum dæmone: cum quo fieri potest congressus, vel comparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel fœminæ: ob id dicitur fieri vel cum dæmone incubo, vel cum dæmone succubo: & hoc peccatum præter malitiam bestialitatis, habet malitiam superstitionis, imò & fornicationis, si dæmon transferat semen alicujus hominis in vas naturale mulieris, ex quo foetus aliquis generari potest. tom. 1. de iis, qua pertinent ad usum matrim. qu. 4. punct. 12. num. 1. & seq.

2. Peccatum bestialitatis non differt specie pro diversitate belluarum cum quibus perpetratur: unde non est necessarium in confessione exprimere belluam, sed sufficit dicere, se congressum fuisse cum bellua, seu re alterius speciei. Ibid. num. 4.

Bigamia, Bigamii.

Vid. v. Irregularitas, Matrimonium.

1. Bigamia est quædam irregularitas consurgens ex multiplici matrimonio contracto & consummato. Triplex est bigamia: vera, interpretativa, & similitudinaria. tom. 1. de Irregularitate, disp. 7. q. 2. punct. 5. n. 1. & 2.

2. Vera bigamia est, quando quis verè duas uxores legitime duxit & cognovit carnaliter, sive duxerit ante Baptismum, sive post Baptismum. Ibid.

3. Interpretativa est, quando quis revera non contraxit

cum duabus, sed secundum interpretationem juris censetur contraxisse cum duabus; ut quando quis unam uxorem legitimam habuit, & postea aliam invalidè ducit cum impedimento dirimente; tunc enim si cum ea copulam consummet, fit bigamus non realiter, sed interpretativè. *Ibid.*

4. Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis emissum in professione religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum, matrimonium celebrat cum aliqua virgine vel corrupta, eamque carnaliter cognoscit. *Ibid.*

5. Bigamus ex vera bigamia, interpretativa, vel similitudinaria est irregularis, & consequenter inhabilis ad ordines, & ad beneficia. *Ibid.*

6. Ex dictis inferri requiritur ad bigamiam, ut matrimonium cum duabus contrahatur verè, aut interpretativè, aut similitudinariè; & ut copula actualis subsequatur: nam matrimonium debet esse consummatum, & cum una, ut significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per Internationem; propterea multiplicitas matrimonii rati nondum consummati, non inducit bigamiam, neque multiplicatae fornicationes, vel adulteria ex parte viri, neque multiplicata sponsalia, etiamsi subsequatur sit copula. *Ibid. n. 4. & seq.*

7. Ad irregularitatem bigamiæ non sufficit copula nefanda. Bigamus est is qui ducit foeminam corruptam quam putabat virginem, si, postquam comperit illam fuisse corruptam, nihilominus cum ea matrimonium consummat. Item & ille, qui cognoscit propriam uxorem postquam cum alio nupsit, credens priorem maritum esse mortuum. Similiter & infidelis, qui sæpius in infidelitate contraxit matrimonium, suscepto Baptismo est irregularis; quia bigamia non tollitur per Baptismum. *Ibid. n. 9. 10. & seq.*

8. In quacumque bigamia potest Papa dispensare, cum bigamia sit de jure humano: non autem Episcopus, nisi quatenus illi conceditur à Sede Apostolica. *Ibid. n. 14. & 15.*

9. Bigamus qui majoribus ordinibus fuit initiatus absque dispensatione, gaudet privilegiis clericorum, quia non potest vivere ut laicus; ergo debet vivere ut clericus, & consequenter frui privilegiis. *Ibid. n. 16.*

A D D I T I O.

Episcopus cum bigamo vero, aut interpretativo ad ordines, aut ad primam tonsuram, dispensare non potest: neque ut in susceptis ordinibus ministret. Cum bigamo ficto dispensat aliquando. 1. cum presbytero, qui semel cum virgine contraxit, si poenitentiam longiori expiatus recte vixit. 2. Cum diacono, vel subdiacono, si ad bonam frugem, uxore dimissa, rediit, dispensat, ut susceptos ordines exerceat: & si perfectam vitam vixerit, ut alios suscipiat. 3. Dispensat cum eo clerico vel monacho, qui post votum solemne castitatis, semel cum virgine contraxit: intellige, si monachus illi subiectus sit.

Præterea Episcopus in omni irregularitate, ex occulto delicto manante, per Concilium Trident *sess. 14. cap. 6.* dispensare potest.

Bigamiam baptismo tolli, negant multi cum S. Augustino, *c. 18. de ben. conjug. lege Sotum 4. dist. 27. art. 2.* Covar *in clem. ut si furios. p. 1. n. 1. §. 2.* concedunt nonnulli Hieron. *secuti epist. ad Ocean.* Vide Victorell, in hunc locum.

Blasphemia.

1. Blasphemia est convitium seu verbum contumeliosum, quod jacitur in Deum, aut in Sanctos ore, vel corde seu mente. Blasphemia alia est simplex, seu quæ non opponitur directe articulis fidei; alia hæreticalis, quæ articulis fidei directe opponitur, qualis est hæc; *Abnego Deum aut fidem.* & hæc cognoscenda est ab Inquisitoribus fidei: non hæreticalis vero est mixti fori. *tom. 2. circa 1. Decalogi præceptum, disp. 3. quest. 8. punct. 1. n. 1. 2. & 4.*

2. Renegans aliquem Sanctum, non committit blasphemiam hæreticalem, quia nihil dicit, quod sit directe fidei contrarium. *Ibid. n. 3.*

3. In œcesi Mediolanensi constituta est pæna excommunicationis *lata sententia* iis, qui non deferunt blasphemos Inquisitoribus, vel Episcopis, modo tamen præmiserint correctionem, & per eam blasphemum non resipuerint. *Ibid. n. 6.*

4. Blasphemia committitur in his modis: tribuendo aliquid Deo per contumeliam quod non habet, aut auferendo

aliquid quod habet, aut deestando divina, ut maledicendo Deum, illique mala imprecando: aut exprobrando ea quæ Deus habet, seu tribuendo Deo quæ habet, sed irreverenter, modò hoc fiat ex indignatione, vel ira contra Deum: aut maledicendo creaturis ut creaturæ Dei sunt, vel blasphemando res sacras, aut communicando ea quæ sunt Dei propria, creaturis: aut laudando Deum turpibus verbis, modò ad sit intentio laudandi: nam sic tribuitur Deo quod ei non convenit. Item spernens Sanctos committit blasphemiam, secus si quis aliquid de iis referat, quod eis evenit ante sanctitatem. *Ibid. punct. 2. num. 1. 2. 3. & seq.*

5. Non committitur blasphemia, dicendo: *Posar Dio*, vel *al conspetto di Dio*, modò hæc verba non dicantur animo proferendi convitium in Deum, vel detrahendi ipsius potentia. Est tamen blasphemus qui dicit: *Al dispetto di Dio*, vel, *rimago Di*, tacitâ ultimâ vocali *o*. At non præsumitur blasphemia dicendo: *Al dispetto di quel becco, che mi soffia al mondo*. Similiter non committitur blasphemia, dicendo: *Hoc ita est verum, sicut est verum Evangelium*, vel, *sicut Christus natus est ex Maria Virgine*, &c. quia nihil Deo tribuitur per contumeliam, nec aliquid auferitur. Item non committit blasphemiam qui jurat contra hominem per Corpus & Sanguinem Dei: secus si juret per pudendas partes Christi, vel Sanctorum. *Ibid. n. 4. & seq.*

6. Blasphemia est peccatum mortale ex suo genere, opponiturque virtuti religionis: & illi potest adhærere alia malitia, ut hæresis, odii Dei, &c. *Ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

7. Blasphemans ex habitu peccat mortaliter, quoties advertit ad pravam habitum, & non curat illum extirpare, & dum blasphemat cum sufficienti advertentia. *Ibid. n. 3.*

8. Maledicens proximo non committit peccatum blasphemiae propriè acceptæ, nisi maledicat per ordinem ad Deum; peccabit tamen semper mortaliter, si maledixerit illi cum desiderio notabilis damni. *Ibid. n. 4.*

9. Qui imprecatur mortem filiis, ne in futurum delinquant, non peccat mortaliter. *Ibid. n. 6.*

10. Blasphemia in Deum si consideretur ut blasphemia non differt specie à blasphemia in Sanctos, sed est ejusdem speciei, gravior aut levior pro gravitate, aut levitate materiae; explicandaque est in confessione qualitas blasphemiae, & an fuerit in Deum, vel in Sanctos. Vide *Tentatio Dei* *ibid. p. 4. n. 1.*

ADDI-

A D D I T I O.

Blasphemia intetdum est cum hæresi, & tunc blasphemans est hæreticus. Publicam blasphemiam gravissimè puniunt Canones Leg. *Tolet.* Blasphemantur etiam Sancti, & ipsa Sanctorum Regina, Dei Mater Virgo Maria. Hoc facientes mortiferè peccant, & Canonum poenis sunt subiecti.

Imprecari malum homini ex animo lethalis noxa est, exterius tantum venialis.

Maledicere creaturis etiam ratione carentibus, eâ mente, quia sunt Dei, mortalis blasphemia est; maledicere, quia sunt alicujus hominis, ex animo, idem crimen est; maledicere autem irrationabilibus, secundum se, venialis culpa: maledicere, ratione mali illati, actus licitus.

Inhonorare Deum, vel Sanctos, imagines sacras pedibus terere, sacras Reliquias spernere, actus injuriosos in Deum agere, impietatis crimen est, cui si error intellectus accedat, hæresis est.

Blasphemo membra quædam divinitus reserata narrat Niceph. Callist. *lib. 18. cap. 33. Hist. Eccl.* De blasphemia, & blasphemorum poena Petr. Gregor. Tholos. *lib. 33. cap. 12. Syn-tagm. ur. juram.*

C.

Cambium.

1. **D**E *cambium* intellige contractum quo pecunia pro pecunia permutatur. Duplex est, reale seu verum, quo una pecunia reverà cum alia commutatur; & siccum, quod non est verum cambium, sed fingitur & simulatur cambium, & est mutuuum sub imagine cambij realis; ut accidit, quando campfor pecuniam tradit campfario solvendam in eodem loco, in quo eam tradit, confectis litteris ad locum distantem, ad quem reverà litteræ non mittuntur, vel si mittuntur, nihil operantur, ac si non mitterentur, eò quòd campfor sciat campfarium non habere pecuniam actu aut potestate in eo loco ad quem litteræ mittuntur: & hujusmodi cambium siccum illicitum est & usurarium, cum in eo accipiatur lucrum ob mutuuum. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. qu. 5. punct. 1. & 2.*

E 4

2. *Aut*